

No. 225. 1445. 10. Sept.

Statuta sive constitutiones canonicorum regularium ordinis sancti Augustini monasterii sancti Thomae in Lipczk diocesis Merseburgensis.

Sequitur bulla episcopi.

Johannes dei gratia episcopus Merseburgensis conservator et cancellarius unicus almae universitatis studii Lipczensis a sede apostolica specialiter deputatus venerabili et religiosis viris Burchardo praeposito totique conventui monasterii sancti Thomae apostoli canonicorum regularium ordinis sancti Augustini in Lipczk nostrae diocesis salutem et sanctae religionis felix incrementum. Inter cetera quibus ex suscepti regiminis onere vigilantius intendere nos convenit hoc summopere cupimus ut debemus, ut ad recte vivendi formam et viam salutis omnes deviantes etiam invitos exhortationibus aut modis aliis quibus possumus reducamus, multo vero magis sponte inquirentibus illa exhibere. Sane sicut petitio nobis pro parte dictorum praepositi et capituli monasterii praelibati per duos de canonicis suis in causa reformationis facta continebat, quatenus ipsis indulgere dignaremur, ut de quacumque diocesi viros timoratos in regulari observantia dicti ordinis imbutos, qui statuta sanctorum patrum non ignorarent, ad se vocare possent quos habere possent comodose ad praestandum eisdem in huiusmodi novitatis primordiis consilium et auxilium oportunum, prout haec in litteris nostris plenius continentur; nos itaque supplicationi huiusmodi tanquam rationabili favorabiliter annuentes personas idoneas ad se vocandi concessimus ipsis liberam facultatem. Quibus siquidem canonicis sive fratribus, signanter magistro Stanislao Auris et magistro Paulo de Ólsna professis monasterii b. Mariae virginis Wratislaviae in Arena ordinis antedicti per praefatum dominum praepositum et conventum monasterii s. Thomae non tam scriptis nostris quam ipsorum pro ipsius reformationis salubri executione ad se vocatis commissionem nostram dedimus huiusmodi sub tenore:

In nomine sanctae et individuae trinitatis amen. Johannes dei et apostolicae sedis gratia episcopus Merseburgensis ad memoriam rei sempiternam. Exposit inter alia pastoralis officii nobis commissi debitum et requirit, ut ea quae ad sacrae religionis fomentum ac divini nominis cultus augmentum pertinere noscuntur nostrae promotionis ac procurationis studio feliciter recipient incrementum. Ea propter devoti et in Christo nostri dilecti Burchardus praepositus, Michael prior totumque capitulum monasterii s. Thomae apostoli canonicorum regularium ordinis s. Augustini in Lipczk nostrae diocesis diligenter censuerunt, quod vita communis maxime necessaria est iis qui deo irreprehensibiliter militare cupiunt et qui vitam apostolorum volunt imitari, super quorum actus eximios doctor sanctus Augustinus regulam suam fundavit, quam et ipsi sunt professi, qua cavetur nullum professorem eius proprium aliquid dicere aut possidere debere, asserentes etiam quod hanc rerum communitatem et abdicationem proprietatis ut professi sunt auxiliante dei gratia in posterum ut tenentur intendunt observare. Ne igitur inimicus et fratrum accusator zizaniam seminet in triticum et perniciosam coalescat in segetem hancque quam inchoare satagunt vitam canonicam divinitus inspirati solvere possit proprietatis vitio aut alterius inquinamenti foeditate, ut etiam talibus quantum eis est possibile viam praecludere vitiis valeant in futurum et secundum regulam b. Augustini regularius ac perfectius vivere vitamque et viam regias amplectendo die noctuque virtutum altissimo vota sua quietius exsolvere ac in sanctimonia et castitate possint deo propitio famulari, maturo ac deliberato super hoc habito consilio religiosos viros Stanislauum Auris et Paulum de Ólsna magistros artium et sacrae theologiae bacularios professos monasterii b. Mariae virginis in Arena extra muros Wratislaviae diocesis Wratislaviensis ordinis praetacti ex commissione nostra speciali pro reformatione dicti sui monasterii ad se vocatos nobis duxerunt praesentandos, quibus ex certa nostra scientia adiungimus honorabilem dominum Mathiam praepositum monasterii b. Mariae virginis in Rude-